Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26048
Copyright: Admont, Benediktinerstift

putruerunt. Scriptum namque est:
ante ruinam exaltatur cor. Ibi
ergo feriuntur ubi superbiunt. Unde
scriptum est: Contrivi cor eorum for-
nicans et recedens a me. In-
terius enim fornicari est exterius
viciis delectari. Magna autem
contricio cordis est hec eadem ela-
tio superbientis. Eo ipso quippe
ab integritate salutis corru-
it, quo iactancia cuiuslibet
virtutis intumescit. Superbien-
tes enim deum despiciunt et relic-
ta creatoris sui gloria propriam que-
runt. Que autem maior potest esse
contricio quam deserto creatore cre-
aturam querere, desertis supernis
gaudiis infimis rebus inhia-
re? Unde bene per prophetam dicitur:
Humiliat autem peccatores usque
ad terram. Amissis autem celestibus
terrenum est omne quod sitiunt,
et dum plus videri conantur
minus est quod appetunt. De qui-
bus recte per Ieremiam dicitur: Rece-
dentes a te in terra scribentur,
quoniam dereliquerunt venam aquarum
viventium dominum. At contra de
electis dicitur: Gaudete quoniam nomina
vestra scripta sunt in celis. Ista
ergo contricio prius serpit in mente
ut postmodum procedat in opere.
Prius fundamentum cogitationis
concutit, ut postmodum fabricam
operationis allidat. Unde sum-
ma cura est satagendum, ut il-
lic vincatur ubi oritur. Scriptum
namque est: Omni custodia
serva cor tuum quia ex ipso
vita procedit. Et rursum scrip-
tum est: Ex corde enim exeunt
cogitationes male. Intus enim vigi-
landum est ne mens dum ex-
tollitur cadat. Intus servemus omne
quod foras agimus. Si enim semel
medullam cordis elationis pu-
tredo consumpserit, citius corruit
cortex vacua exterius visionis.
Notandum vero est quia dum
aliis cadentibus ad standum a-
lii solidari perhibentur, electorum
numerus certus ac definitus
ostenditur. Unde etiam philadelfie
ecclesie per angelum dicitur: Tene quod
habes ne alius accipiat coro-
nam tuam. Hac ergo sentencia
qua narratur aliorum erigi, ali-
orum vitam aut confringi, et
spes nutritur humilium et ela-
tio premitur superborum, dum et illi
bona possunt amittere de qui-
bus superbiunt, et isti ea per-
cipere que quia non habe-
bant contempnunt. Formide-
mus ergo in hiis que accepimus,
nec eos qui needum illa con-
secuti sunt despiciamus. Quod e-
nim sumus hodie novimus, quid
autem post paululum possimus esse
nescimus. Hii vero quos fortas-
se despicimus et tarde possunt
incipere et tamen vitam nostram
ferventioribus studiis antecedere.
Timendum itaque est ne etiam
nobis cadentibus surgant qui
a nobis irridentur. Quamvis
stare iam non novit qui non
stantem novit irridere. Hinc
ergo superiorum auditorum metum
Paulus apostolus discipulorum cor-
dibus incutiens ait: Qui se ex-
istimat stare videat ne ca-